

5+6/84

KALENDIS IVNIIS

MCMLXXXIV

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS I
RMOR VARIVS F
RMOR VARIVS F

RMOR VARIVS

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS

TOMUS 7

FASC. 47

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 18.--
In Austria	ÖS 130.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 18.--
Oesterreich	ÖS 130.--

übriges Europa Fr. 20.--

Uebersee US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Hodie vobis de duabus rebus narro. Primo agitur

De certamine nuper legentibus proposito.

Meministisne me in Rumore Vario 11+12/83 amplissimis verbis certamen novum legentibus proposuisse? Sub titulo "Quis nobis fabulam facetissimam lepidissimamque publicandam mittet?" ilico condiciones, quae certamen ineuntibus observandae essent, demonstraveram promiseramque nos nomina eorum, qui e certamine victores abituri essent, libello 5+6/84 divulgaturos esse.

Pluribus interim mensibus praeteritis - heus! - perpaucae tantum ratae partes illi incepto respondentes ad nos pervenerunt Latine compositae. Quo facto dolemus. Miramur, quid huius rei causa sit. Num spatium, quo certamini interesse licebat, nimis breve erat? An prohibebant condiciones sertius definitae, mentes hominum nostrae aetatis parum laetae vel fabulis scribendis parum aptae, quominus certamen inirent?

Quicumque res se habeant: Infra nomina victorum et victricum nuntiamus:

Primum praemium pro fabulis facetis alacribusque accipiet

Ursula Urner, Schwandenstrasse 6, 8802 Kilchberg

Secundum praemium (id est XX Francos Helveticos praebemus aerario itineribus scholaribus faciendis) illi accipient discipuli, qui in vico nomine Düdingen Helvetiae sectionem a magistro Magno Moser tertiam et quartam frequentantes narrationes Latinas de itinere suo nuper Romam facto miserunt.

Quibus praemiis honorem laudemque tribuimus Ursulae Urner pro eius narratricula, quam de "HORA FELICULAE" summa arte maximoque ingenio composuit (iam divulgavimus Rumore Vario 3+4/84, videatis paginas 30/31); discipulis autem Düdingensibus pro fabulis, quas titulo "Discipuli de itinere Romam

facto narrant" mox divulgabimus, et summo ingenio et facetissime compositas.

Altera res est, de qua pauca dicam,

De conventu annuo a Socijs operis nuper Turici habito

inscribatur. Collegae enim Rumorem Varium edentes die XII^o mensis Maii, ut omni anno facere solemus, sessiunculam Turici in aedibus AKADis habuimus. Quo in conventu aderant socii nostri Dr. Emanuel Bernard Rüscklikonensis, Dr. Guarnerius Fridericus Ebel(ius) Berolinensis, Danielis Weissmann Martinusque Meier Bernenses, domina Christina Portner Dietikonensis et ego, conventūs praeses, qui omnes socios invitaveram.

Ille conventus ut priores habiti maxime laetus evēnit. Nam primā parte expedita qua res ad fasciculos Rumoris Varii edendos pertinentes tractaveramus Danieleque Weissmann maximis honoribus novissimum socium collegio redactorum adscripseramus, ad secundam partem conventūs ex aedibus AKADis in deversorium proxime situm transgressi sumus, ut animos colloquio delassatos vino ciboque restitueremus. Demonstravit insuper ille conventus, imprimis illius pars secunda in deversorio habita, quanta vi amor Latinitatis amicitiam inter homines e variis regionibus Europae congressos ampliorem, sertioem efficere possit!

Nunc, ut reliquis ratis partibus huic fasciculo satis spatii suppetat, nihil ultra addam nisi hoc: Curate, ut valeatis, cari legentes! Feriae aestivae vobis felices eveniant!



Udalricus Aeschlimann



Litterae ad editores

Epistula consolatoria ob mortem felis cui nomen "Pfuri(us)" sodalis nostri carissimi Udalrici Aeschlimanni.

AMICUS Udalrico suo semper salutem!

E praefatione fasciculi XLVⁱ Rumoris Varii graviter animo commotus tristissimo nuntio Tuo de morte subita felis Tui cui nomen "Pfuri(us)" certior factus sum. Temperare mihi non possum, o mi Udalrice, qui dolorem meum Tibi declarem maestitiamque animae Tuae ob mortem catuli pulchelli consaler. Ipsum quoque dolorem Tuum, Udalrice mi, etiam Tecum sentire, aequae Tecum dolere meum esse puto officium nobilissimum, qui egometipse pari maestitia doleo nunc propter obitum felis catuli, qui morbo fatali consumptus, exstinctus diem obiit extremum atque e hac vita excessit diue Veneris VI^o mensis Ianuarii anno 1984^o. Morbo pernicioso immedicabilique cui nomen in indice morborum est "Pleuritis virulenta" adfectus emortuus est atque de vita hac migravit, locus autem eius, ubi semper comiter cumbere solebat, nunc vacuus est, sed grata omni tempore memoria eum colere atque etiam post mortem nostrum esse puto officium nobilissimum. Semper memoria eius in omnium mentibus haerebit, memoriam eius nulla unquam oblivio delet. Sic, enimvero sic est, etiam animantia minima quidem a Deo nostro creata nobis hominibus reddita et commissa sunt, namque non vivit ubivis terrarum vermiculus quidem minutissimus, qui prius non habeat definitionem condicionemque a Deo creatore praestitutas!

Quod nunc ad memet attinet et egomet amator cultorque sum "fanaticus" felium. Prospicio consuloque saluti duorum felium marium quibus nomina "Iob(us)" (Hebraice: Ijjob = ubi est pater?) atque "Beniaminus" (Hebraice: Ben-jamin = filius manus dextrae, i.e. filius fortunatus). Iob(us) autem aetate iam propecta seu grandaevus XII annos natus est atque - eheu illum miserrimum infelicissimumque! - oculo sinistro laborat opacitate corneae (Hornhauttrübung), id quod re et veritate maxime dolendum est. Beniamin(us) autem ex contrario integra valetudine utitur et quasi "pancratice" valet non amplius duos annos natus.

Notum illud est (dictum) Baruchi seu Benedicti de Spinoza (1632-1677): "Solamen miseris socios habuisse malorum" (Ethica ordine geometrico demonstrata, 1677, IV, 57). Eam ob rem rebus sic stantibus iterum identidemque mortem felis "Pfurii" commiseror Tecum, o mi Udalrice. Deus autem noster solacio Suo Tete firmet consolationeque Tete levet et Temetipsum semper benedicat Tibipteque patrocinetur.

Macte virtute, macte ingenio, feliciter Tibi, haveto, salveto, valetio!


AMICUS

His autem nostris diebus.....

Ionnus Weissmueller(us) 79 annos natus vita defunctus.

Ionnus (Jonny) Weissmueller(us) 79 annos natus in oppido Mexicana Aquae Pulchrae de Iuaretio (Acapulco de Juárez) ad oram maritimam Maris seu Oceani Pacifici sito die Saturni (septima feria) 21^o mensis Ianuarii anno 1984^o diem obiit extremum in villa Elsa in Plaga Mimosa (Playa Mimosa) uxore Maria filiaque Linda praesentibus. Iam die Solis seu dominico (prima feria) insequenti sepultus est in sepulcreto publico in Valle Lucis (Valle de Luz) oppidi Aquae Pluchrae.

Ionnus Weissmueller(us), filius advenarum (immigrantium) Austriacorum, die Iovis (quinta feria) II^o mensis Iunii anno 1904^o Chicago in oppido Americae Septentriona-



Ionnus Weissmueller(us) clamorem Tarzani "Aaeoo!" maxima voce vocitans.

lis est natus. Ionnus autem iuvenis iam expolitus est uti natator in Collegio Athletico Illinoisiaco (Illinois Athletic Club) Chicago in oppido.

In Ludis Olympicis Lutetiae Parisiorum anno 1924^o atque Amstelodami in oppido Hollandiae anno 1928^o quinque revera nummos memoriales aureos meruit. Ionnus Weissmueller(us) non solum fuit natator, sed etiam actor scaenicus cinematographicus summa indole praeditus, cuius fama per omnes terras interim est propagata. - Praeter ceteras per tot varios annos personam seu partem egit "Tarzani", dominatoris locorum desertorum Africae, primum anno 1932^o.

Tarzanus autem, heros multorum horrendorum horribilumque audaciumque casuum seu periculorum, figura seu persona ficta seu commenticia erat ab auctore Edgario Rice Burroughs excogitata. Qui creator figurae Tarzani herois, die Mercurii (quarta feria) I^o mensis Septembris anno 1875^o Chicago in oppido natus, auctor fuit multis ingenii facultatibus praeditus fabellarum novellarum. Anno autem 1912^o fabellam novellam primam in vulgus edidit cui titulus "Tarzanus", anno 1914^o alteram partem novellae sub titulo "Tarzanus simiorum" (Tarzan of the Apes). Reliquas XXX novellas deinceps de Tarzano scripsit. Actio fabellarum novellarum de Tarzano heroe fuit quasi haec: Tarzanus, filius viri nobilis Anglici in locis desertis Africae derelictus, adoptatus altus atque nutritus est a tribu simiorum gigantium. Tarzanus autem inter simios vivens quin etiam parat perdiscere linguam Anglicam, congregitur cum Iohanna (Jane), filia scientis cuiusdam Americani, adipiscitur amorem puellae atque postremo recuperat titulum (viri nobilis Anglici).

Anno autem 1918^o pellicula cinematographica est facta, in qua actor scaenicus cinematographicus Elmo Lincoln(us) generis concavis egit personam Tarzani. Amplius quam XII actores scaenici cinematographici postea saluerunt ab arbore ad arborem, inter eos re et veritate maxime popularis Ionnus Weissmueller(us) ab anno 1932^o usque ad annum 1948^o. Tituli novellarum de Tarzano ab auctore Edgario Rice Burroughs continenter in vulgus editarum erant hi:

Tarzanus simiorum (Tarzan of the Apes), anno 1914^o
 Reditus Tarzani (The return of Tarzan, anno 1915^o
 Bestiae Tarzani (The beasts of Tarzan), anno 1916^o
 Filius Tarzani (The son of Tarzan), anno 1917^o

Novellae de Tarzано in amplius quam LVI linguas ex Anglico, etiam in Germanicum seu Theodiscum sunt translatae seu conversae. Edgarius autem Rice Burroughs, eo tempore iam LXVI annos natus, testis spectatorque fuit et arbiter, qui ipse vidit diem impetus seu proelii aërii ab aeroplanis Iaponicis in Perlarum Portum (Pearl Harbour) facti seu commissi. Burroughs re et veritate ab eo die funesto vetustissimus factus est correspondens commentarii periodici cui titulus "Tempora Civitatis Angelorum" (Los Angeles Times). Diem autem suum extremum obiit Edgarius Burroughs die Solis seu dominico (prima feria) XIX^o mensis Martii anno 1950^o.

Anno autem 1973^o Ionnius Weissmueller(us) fracturam femoris coxarumque perpressus est. Postea impetus cardiaci, infarctus cordis atque carcinoma laryngis accesserunt. Anno 1979^o Ionnius Weissmueller(us) pericula operationis laryngis subiit. Clamor penetrabilis Tarzani nunc in omne tempus obmutuit, sed nulla oblivione delebitur gloria natatoris victoriosi Ludorum Olympicorum atque actoris scaenici cinematographici illustris sempiterna memoria digni Ionni Weissmueller(i).

AMICUS

Litterae ad editores

A.d. XVII. Kalendas Maias MDCCCLXXXIV primum meum officium linguae Latinae in schola ab monte divite Vitidoduri suscepi. Lector benevole - bene scis, qui libri illo primo anno classis quartae legantur. Sicut et ego lecturam Latinam primulam commentarios de bello Gallico decrevi. Paulo vero post, etiam ante ferias aestatis, mihi videbantur discipuli mei alium mundum litterarum cognoscere velle. Sic eis quandam historiam parvulam e Gestis Romanorum apportavi.

Primae quaestiones ad illam historiam huius generis erant: quo tempore ageretur; quales indices ad destinandum locum invenirentur; quod esset - exempli gratia - officium mercatorum illo tempore. - Ex descriptionibus epularum, morum in mensa invenimus illam historiam de XII. vel XIII. saeculo nobis narrare. Hoc quidem capite de inventione furcae libri "de processu civili" a sapientissimo Norberto Elias scripti demonstravi mores ad mensam mutatos esse vel etiam nunc mutari - quod ad risum maximum pervenit.

Sed quomodo legantur illa Gesta Romanorum - sine libro ad usum delphini parato? Sunt quidem quas Graece xerographias vocemus - sed quomodo vitem meipsum florilegium componere, quod finitum, rationibus propriis lectum discipulis tradam? Inveni denique versionem Germanice scriptam, quam singulis alumnis dedi. Qua perlecta unus ex iis historiam de Gregorio legere desideravit. Dubitavi: volumen istius historiae simile est "bello Helvetico", quod tres menses legimus. Sed septem lectionibus post de Gregorio peractum erat! Discipuli maximum gaudium habebant: prima vice enim linguam Latinam non modo difficilem, sed etiam mirabilem esse videbant.

Sic una procedimus. Ratio mea ad librum faciendum erat, quod nolui alumnos meos litteris modo usuros esse, sed eos ad producendas litteras incitavi. Itaque officium uniuscuiusque discipuli decrevi: historiam e Gestis eligendam esse; hanc secundum lectiones scholasticas Germanice scribendam esse; imaginem vel eligendam vel etiam faciendam esse idoneam ad historiam selectam.

Semper semperque mirabar, quantum istae historiae huius collectionis discipulis placerent. Signum istius delectationis lector libelli imagines ab ipsis discipulis factas accipiat.

Versiones discipulorum non tantum corrigendas putavi, quoad linguam Latinam iam nec false nec barbarice redderent. Itaque, lector semper parvula vitia invenies. Quod quidem minimi iudico: meta huius laboris non erat editio scientiae linguae Latinae dedita, Graece critica dicta, sed monumentum ad placendum lectori benévolo aptum. Magnum honorem putavimus nos primam editionem duabus linguis conscriptam, immo imaginibus ornatam confecisse. Quam nunc lectoribus novis commendamus.

Dedimus Turici Nonis Aprilibus MDCCCCLXXXIV.

Quomodo perveniam ad illum libellum?

"Gesta Romanorum" modo apud Editiones Passeri venduntur.
Scribito ad: Editiones Passeri
Tobelhofstrasse 2
8044 Zürich

Libellum cum ratione pecuniaria postali tibi mittemus.
Ratione a procul sonante, Graece telephonica dicta eligendo
numerum 01/47 68 97 ad eadem pervenies.

Pretium libelli ad X Francos Helveticos statuimus.



Andreas Beriger

De

De

S O L V T I O N E S

aenigmatis in libello 3+4/84 propositi proximo libello divulgabimus.

Facete lepideque dicta

Roma aeterna

Fernandus Gregorovius, 1821-1891, auctor operis illustrissimi cui titulus "Res gestae urbis Romae in aetate media" (Germanice: Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter), 1859-1872, a peregrinatore quodam interrogatus, quanto temporis forsitan opus siet, ut penitus urbem Romam cognoscere possit, "Id tibi, his vocibus inquit, eheu memet miserrimum, omnino non possum dicere, nam egometipse vix demum per annos XX hoc ipso loco vivo!"

* * * * *

Vis naturaque amoris

Franciscus autem VI, dux de Rupe Fucaldi, princeps de Marciliaco (François VI duc de Larochehoucauld, prince de Marcillac), 1613-1680, auctor ille celeberrimus Francogallicus operis cui titulus "Reflexiones aut sententiae et (res) maximae morales" (Francogallice: Réflexions ou sentences et maximes morales), a muliere quadam interrogatus, quidnam de amore aestimaret aut putaret: "Eadem revera, " inquit, "est causa seu ratio quoad amorem, ita res se habet, uti quoad umbras seu species spirituum: omnes homines ubivis terrarum locorumque de illis loquuntur, sed nec quisquam unus eos aliquando vidit!"

* * * * *

Omnia iam scio

Vir quidam suspicione commotus perturbatusque concitatusque furoreque incensus inflammatusque in cubiculum uxoris introit atque voce magna irata vociferatur: "Miserrima, tace nunc, nam omnia iam scio!" Tum aequo animo uxor suspecta: "Ne verbis", inquit, "et laudibus extolle exaggeraque virtutes tuas, Adalberte mi! Quando exempli gratia accidit seu evenit pugna apud Cannas?"

AMICUS

Aenigma

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTUM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALENDIS AVGVSTIS EST!


PRAEMIA SVNT : primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

ad libram

- | | |
|---|--|
| 5 tracto vel acto | 42 pronomen personale |
| 10 amicitiam vehementem | 43 temperies solis (Nom.pl.) |
| 14 vicesimus dies mensis
(Graece, dat.) | 45 insanire |
| 16 tridentia | 47 eligo |
| 17 maesto | 48 adverbium |
| 20 odoribus amoenis vel un-
guentis me orno | 49 rex Africae, qui Didoni
regine fines ad urbem
Carthaginem condendam
dedit (Acc.) |
| 21 animalia plena gratiae et
hominibus utilia | 51 praecepto, quod res
publica civibus statuit |
| 23 qui formam partim hominum
partim equorum habent | 53 accusas |
| 26 atque | 54 maxime diligenti |
| 27 forma vel genere | 57 numerus 1970 |
| 29 signum quoddam orbis
signiferi | 59 dementia |
| 32 Aristoteles eam "somnia
vigilantis" nominabat
(Acc.) | 60 meate |
| 35 cogitationis vel mentis | 61 una ex Musarum |
| 37 caeli lumen (Gen.) | 62 bene (Graece) |
| 39 urbs provinciae Narbonensis
(Dat.) | 63 dies.... = dies funestus |
| 40 Gnaeus (breviter) | 65 basi (Gen., ii=i) |
| 41 potus e frugibus paratus
(Dat.) | 66 philosophus Graecus,
qui poetas vituperabat,
cum deis omnia mala
hominum ascripsissent
(Dat.) |
| | 70 obviam veniat |

ad perpendicularum

- | | |
|---|-------------------------------|
| 1 saltus in regione situs,
qua tres deae Paridi
apparuerunt | 8 magnis munimentis armas |
| 2 novit | 9 actione |
| 3 elementa musicae | 11 coniungatur |
| 4 urnae <small>coniunctio</small> | 12 fame vexaris |
| 6 praepositio Latina | 13 percutio |
| 7 dulce alimentum a pistori-
bus paratum | 15 locis sacrorum faciendorum |
| | 18 domūs (Gen.pl.) |
| | 19 intravi |
| | 22 nomen arboris (Gen.pl.) |



24 urbs Graeca, patria Ana-	44 equo alato
creontis poetae (Dat.)	45 culter curvatus
25 pastor caprarum vel ovium	46 tolle!
26 apponunt	50 fungi edilis
28 campum	52 maxime infera
30 homini artis cantandi	55 anima praediti
perito	56 hieme a caelo cadit
31 exstas	58 rex Persarum (Abl.)
33 non multa	60 succurre!
34 pronomen possessivum (Dat.)	62 pronomen demonstrativum
36 flumen Umbriae sulphuratum	(Neutr.pl.)
38 incolae provinciae	64 interiectio
Romanae a Helvetiis ad	65 ita
Danuvium flumen pertinentis	67 pronomen personale
40 rapida	68 propter
43 sine aqua esset	69 pars corporis

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

SCIENTIAM CERTAM SENSIBUS QUIBUSDAM IRRATIONALIBUS PRAEPONDERARE

Res vere mira, res vere mirabilis, res similiter etiam stupenda: conscripsit quidam paginam indignatione et stomacho quasi coruscantem, ubi agitur de imminente formidolosā lanæ caprinae conflagratione sive de Latinae loquelae eloquio (cfr «RVMOR VARIUS» tom. 7, 1+2 [1984] fasc. 45, pp. 15-16).

Sed non nuntiatur, ubi illa conflagratio periculosissima fiat, unde illud bellum iamiam oriturum immineat. Haec legentes monemur de illā sententiolā, ubi quidam alius scripserat hōc: «Adversus neminem» (cfr LATINIT. 29 [1981] pp. 82-83). Aliter autem res se habet, ubi alius quidam, idēque Romanus, artificiiis mirificis, tamen rei describendae parum aptis parumque convenientibus, de «collegio quodam Saravipontano pronuntiationis» scribit, quamvis non significaverit - id quod valde dolemus - quid his verbis exprimere vel indicare voluisset (cfr LATINIT. 31 [1983] p. 296).

Ait autem Antoninus Immè clamore quodam emphaticōterō culpam penes se non esse, quod esset in Sicilia natus, quod ibi scholam frequentasset, quod linguam Latinam in urbe Romā didicisset.

Quam rem omnino manifestam optimeque propositam minime infitiamur.

Similiter vero in eo culpa non est, quod nos non in Sicilia nati sumus neque in urbe Roma more «Italiano», ut ita dicamus, Latine docti. Pariter nostra culpa non est in eo, quod Francogalli, quod Hispani, quod Britanni, quod Dacoromani non in Sicilia nati sunt neque Romae eruditi. Tamen subtilitatum loquellarium et linguisticarum investigatores et perscrutatores et sciscitatores sive Itali sive Francogalli sive Hispani sive Britanni sive Germani, iidemque sive catholici sive incatholici, eandem rem easdemque pronuntiatūs Latini condiciones et elementa inveniunt et cognoverunt et demonstraverunt, velut Iohannes Baptista Pighi, professor academicus Veronensis, Alfonsus Traina, item Italus doctissimus, Iulius Marouzeau, professor academicus Parisiensis, Sidneius Allen, professor academicus Britannus, Alfonsus Navia, professor Americae Latinae Bogotanus, P. Emmanuel Jové Hispanus, Manu Leumann, professor academicus Helvetius, Ferdinandus Sommer et Raimundus Pfister et Nicolaus Strunk Germani tam Latinistae quam Indogermanistae satis praeclari.

Sed Maximilianus Mangold, excellentissimus professor phoneticus Saravipontanus (natione Helvetius), singulariter habilis ad omnes sonos omnium linguarum Romanicarum inter se non mediocriter differentes exacte proferendos, cognitionibus per multa decennia iam propositis nixus perfectione mirā quantā sonos vere Latinos exhibet, quales usque nunc duabus phonocasetis praebentur et reduntur audibiles, quarum prima est nonaginta minutarum, cui titulus «Colloquia Latina», altera nonaginta quattuor minutarum, quae est de phonetica Latina sive de pronuntiatu vere Latino et de accentibus vere Latinis. Quae phonocasetae petantur a sede, quae est haec: Societas Latina, Universität - FR 6.3 - D-6600 Saarbrücken 11.

Ceterum non dubitavimus lectores commentariorum periodicorum «Vocis Latinae» certiores facere de quattuor «capsellis magneticis» (sive phonocasetis) Vaticanis nuper editis (cfr VOX LAT. fasc. 71: 19 [1983] p. 109) et etiam de Bavaricā phonocasetā scholari (cfr VOX LAT. fasc. 71: 19 [1983] p. 108). Plurimum enim nostra interest omnibus sciscitantibus indicare, quid in hac re exhibeatur. Tamen nolumus eosdem sincere sciscentes ignorare pronuntiatum uniformem eundemque vere Latinum in omnibus

conventibus generalibus Latine doctorum inde ab anno 1956^o (Avenione in Francogallia) urgender postulatum esse et flagitatum, cum permulti nimis difficulter inter se intellexissent. Ceterum idem pronuntiatus restitutus, qui dicitur, etiam in commentariis periodicis Vaticanis proponitur, quibus est titulus «LATINITAS» (21 [1973] p. 119).

Eis autem, quibus talis postulatio videtur nimis intolerabilis esse, - certe cognoscimus et novimus difficultates quasdam consuetudinis mutandae laboriosas esse et iniucundas - dicamus oportet Aurelium Augustinum [354-430] magnum illum rhétorem Afrum scriptoremque incomparabilem id studuisse, ut pronuntiatum Latinitatis Africum, ubi praeter alia longitudines vocalium parum observabantur (cfr AVG. doct. christ. 4,10,24 [14-18]: CCSL 32, p. 133), rationi Romanae eidemque tum Latinae diligenter accommodaret. Scribit autem ipse haec: «Si enim dicam te (matrem) facile ad eum sermonem perventuram, qui locutionis et linguae vitio careat, profecto mentiar. Me enim ipsum, cui magna necessitas fuit ista perdiscere, adhuc in multis verborum sonis Itali exagitant et a me vicissim, quod ad ipsum sonum attinet, reprehenduntur. Aliud est enim esse arte, aliud gente securum»(AVG. ord. [a. 386/387] 2,17,45 [9-14](CCSL 29, p. 131).

Denique aures nostras adversus talis solacii nuntium ne claudamus (cfr SEN. dial. 6,2,5); id quod sanctae scripturae verbis exprimitur his: «Nolite obdurare corda vestra!» (cfr VVLG. psalm. 94,8; Hebr. 3,8.15; 4,7).

Caelestis Eichenseer
Saravipontanus

Domestica tellus

Trilogia (pars altera)

Fragilitatis meae concessio:

Confiteor vinculum amicitiae me rupisse quod cum diurnario sodali meo recolebam, quia in quodam suo articulo contendebat destructione mundi se valde laetari, quod dumtaxat mundus cum eo peribit ac exstinguetur.

Ego equidem contrario cogito et ominor homines, me defuncto, ad longum tempus superstites fore.

Vitam assidue ego exaltavi, nunquam de vanitate vel imanitate vel inutilitate hominum vitae opinatus sum.

Ut speciosam mulierem urbem Catinam suspiciebam miratus, in cubili desidiose stratam, terga formosa eius in pulvinari applicata quod Aetnei colles splendidis variisque decorati coloribus ornabant, pectus et femora diffusa passim per planitiem candidis villis maculatam roseis malis medicis consitam, crura ad meridiem vergentia in arenoso peripemate et extrema litora serenis marinis undis dulciter sonantibus, tremulis illuminata favillis.

Catina civitas prope urbanas maritimas arenas nobile marmoreum erexit monumentum in fabulosae rapinae immortalem memoriam ex quo dilucide apparet Plutonem concupiscentem, pravum et deformem rapientem Persephonem. Hic fabulosus arcanus divinus raptus ex Metamorphoseon Ovidii Nasonis opera extractus est his verbis patefactus:

"Haud procul Ennaeis lacus est a moenibus altae,
nomine Pergus, aquae..." (Liber V, vv. 385-386)

Qui lacus Pergus prope urbem Ennam est in hodierna provincia nostrae Catinae urbis.

Hoc monumentum symbolum est et documentum refervescentis civium naturae. Prope hoc monumentum in appositis subsellis considerare solebam propter gratum salubre perflatum caelum et propter - confiteor equidem! - summam monumenti puchritudinem eroticam.

Nam Persephonis imago anceps apparet inter terrorem inferni et voluptatem inopinati gratissimi amplexus virilis. Plutonis manus enim palpare, mulcere mulieris pudenda magis videntur quam furtive arripere.

Etenim in illis indulgentibus subselliis aequales nostras universitarias ignaras puellas adducebamus fictis de causis: exempli causa ad de doctrinis auditis disputandum; et sermo saepe ad illud vergebat monumentum praesertim ad infernalem amplexum. Nonnullae puellae fugiebant, aliae

anhelantes et eiulantes languescebant, aliae versuto sermone laetari videbantur et audacter, impedenter, inversunde procaciterque respondebant et inter verba mutuata aliquando quoddam basiolum effugiebat et raro deosculum, ut si rapta eius deoscularetur propter huiusmodi gratum raptum.

Illis vero temporibus rare erant puellae quae studia universitaria adire audebant, praesertim in Sicilia. Sufficiebat enim conclusisse cursum scholae primariae, pleraeque ne hunc cursum quidem perficiebant; analphabetismum diffusum erat, quia etiam prima adolescentia mittebantur ad labores sive domesticos sicut famulae, sive campestris. Paucae licentiam scholae mediae consequerentur, pauciores licentiam lycealem. Familiae divites suas filias in sumptuosa collegia mittebant ut educarentur more hodierno. Ad quid studia universitaria? Ad quid quaedam laurea? Nemo equidem in Sicilia advocato muliebri suas lites committere auderet, nemo muliebri medico aegrotationes curandas, ne pediatrae quidem. Omnium puellarum unicus finis, unicum refugium, unica spes, erat matrimonium, nuptiae, maritus, vita uxoria domestica pro necessitatibus et procreare liberos.

In illis indulgentibus subselliis collegas nostras transeuntes expectabamus potius e propriis pagulis redeuntes variis oneratas impedimentis. Earum saccos aperiebamus, si quid edendum esset et dulciaria domestica allata iucunde voraciterque vorabamus. Erat vero adolescentulorum insatiabilis fames constanter famelica; ut goliardi clerici vagantes, quia in nostris deversoliolis esculenta pauca et insipida erant.

Quadam vero die in illis subselliis solitarius considens transire vidi quamdam collegam meam, quacum in auditoriis universitariis in iisdem scannis saepe considerare solebam, pluribus oneratam saccis. Erga eam consuetum sibilum emisi et illa ad me venit mecumque consedit laete subridens quasi conventus inter nos praeordinatus esset. Haec collega nuncupabatur Rosaria - familiaribus et amicis Sarina - cognomine Taccari, unica filia marchionis Philippi qui ditissimus et maximus omnium feudorum dominorum Catinensis provinciae fuit. Philippus Taccari in remoto pagulo, nomine Scordia, incolebat.

Ubi Sarina consedit prope me, unum ex suis saccis sua sponte aperuit et nonnulla mespilla mihi praebuit, dicens: "Haec mespilla tibi dono attuli."

Mespilla oblata fere attonitus contuebar quia magna erant sicut ovum gallinaceum et carnosae; cogitabam enim de nostra infecunda sterilique mespillae arbore in domestico hortulo nostro, quae macilentae, macerrimae, graciliae, inedibiliae poma reddebat, quam pater meus propter inutilitatem destruxit.

"Mira haec mespilla sunt - dixi - nunquam tam magna vidi. At quid de sapore?"

"Sunt quibus placent" - respondit - "Nobis non placent. Quoniam singulis annis copiose collegimus, ne putrescant, non ponimus mespilla inter paleas longo tempore, sicut dici solet: 'tempore et palea maturescunt mespilla', sed liquamen facimus. Ubi villici haec poma colligunt, hoc canticulum cantant" (et sua gratiosa voce haec pauca cecinit):

"Quando mespilla manduca-a-a-tis,
lugete, homines!
quia extrema poma sunt
fugientis aesta-a-a-tis."

Cara Sarina, nunc ubi mespilla video, assidue canticulum tuum recognosco.

Catinenses cives ad iucundum convivium gaudium persequendum multa urbis loca dedicavere: Catinae enim sunt varia theatra, cinematographeae, deversoria, thermopolia, inter quae memorandum est illud quod etiam nunc vernacule nuncupant "La birreria Svizzera", ubi Ercole Patti ponit praecipuam sedem singularis praecipuae personae illius magnificae narrationis quae inscribitur "Giovannino".

Praeter hoc diabolicum thermopolium, locum perditionis dictum, alia sunt thermopolia, semper perditionis nefasta loca, in quibus nefandi homines, divites et pauperes, serene possunt aleatorie ludere chartulis et temptare fortunam sive vincendo multos nummos et immensa patrimonialia sive perdendo omnia usque cubile et postea in latrinis auditur manuballistae ictus sub sacrosancta paterna protectione illius societatis quae MAFIA vulgo dicitur, cui

hominum perdentium vita nullius flocci est.

In illa theatra nummos paternos una sola occasione profundens ibam, ideoque semper in alieno aere versabar, sive ad praeclara opera musicalia audienda quae in theatro maximo dicto dabantur, sive ad audiendas comoedias facetas musicales, quae "operettae" dicebantur, et hae comoediolae exhibebantur in diabolico perverso theatro "Varietatis" dicto, "Sangiorgi" nuncupato, multis cum cantatricibus et saltatricibus pulcherrimis facillimis pretiosis flagranter petentibus.

Ex musicalibus praeclaris operibus quae in Theatro Maximo exhibebant, nonnullas praecipuas cantiones menti mandabamus, ut exempli gratia, ex opera vernacule "La Traviata" dicta, Gallice "La dame aux Camelias" illud canticulum a praecipuo scaenico cantatum, in mente habebamus, quo amatrix eius ad amatoriam suspicionem adducatur, his verbis:

"Mulier mobilis
ut pluma in vento,
muta in loquendo,
sine cerebro!"etc.

E versutis autem operisculis in theatro Sangiorgi exhibitis, ut exempli gratia "Casta Susanna", canticulum illud quo scaenicorum totus grex castam Susannam irridebat:

"Susanna, Susanna
amisit castitatem!
quomodo casta Susanna
perdidisti tuam virtutem?" ...etc.

Has duas cantiunculas nostris muliebribus universitariis collegis in puellarum aures obmurmurabamus ut irascerentur. Ad eas sublevandas, basiolum effugiebat, nunquam vero non redditum, semper comissimi tamen iucundi amici mutue flagrantis.

Desipiscentiae nostrae, non obstantibus his insaniis, non adhuc perfectae erant, sed faustiores pergebant in dies usque ad verum triumphale tripudium totius Catinae urbis et totius Italiae regionis quoque.

At in nostra trilogica historia procedamus in ordine!

Accidit enim ut collega universitarius noster et in nostro goliardico grege socius Pinus Mirabella (in Sicilia Pinus est nomen diminutivum nominis Iosephi, unde Iosepinus, Pinus) unicus filius principis Conradi Mirabella, qui vastum et extensum principatum possidebat et multos officiales habebat ut subditos, inter quos multi erant mafiosi, unum e suis mafiosis officialibus ad theatri Sangiorgi moderatorem mitteret ut principatus Mirabella legatus, qui rem a Pino excogitatam mafiose quoque rettulit, cui legato moderator consensit, quo inopinato consensu fortunam suam et nostri gregis fecit.

Etenim quodam vespere aliquid novi Sangiorgi spectatores viderunt: Quasi attoniti amplum album velarium ad gregis cantatorum latus viderunt descendere ubi magnis litteris verba splendebant quae canenda erant, et ubi scaenicorum chorus canere incepit, omnes adstantes simul cantare inceperunt. Cantio illa vere melodiosa erat, macheronica quanquam paululum. In ea enim de inter adulescentulum et puellam amoris fine agebatur. Dum puella canebat in pectore adulescentuli applicabat violam campestem. Ille cantabat:

"Quocum corde, morettina, me relinquis,
quocum corde, quocum corde;
quocum corde, morettina, me relinquis,
quocum corde amittam te!
Pulsat cor ubi sum prope te,
fremet cor ubi es prope me!"

Illa respondebat canens varia modulata voce:

"Tibi, mi care, hanc violam do
ne mei unquam obliviscaris:
Signum est finientis nostri amoris
multis onerati lacrimis amaris!"

Hic ab omnibus spectatoribus una canendi mos subito per totam Italiam diffusus est.

Nostro goliardicorum gregi sine solutis nummis in theatro adesse valuit Pini Mirabella gratia et gloria, Mafia favente quoque quae aliquando etiam ad bona sustinenda vergitur propitia.

Mense Aprili, ineunte vere, universitaria studia conclusi, nam in nomine regis et propuli Italici altissimis votis et cum laude laureatus sum. Ideoque patre meo iubente, multis cum lacrimis carissimam Catinam urbem et dilectissimum nostrum goliardicorum inoblabilem gregem relinquere debui.

Praeter gratam memoriam Catinensis meae mansionis, praeter copiosum librorum fascem iam inutilem et fastidiosum, duo pretiosa mecum attuli: decoratissimam papyrum laurea, documentum pretiosum et universitariorum pileum in ciconiae formam, multis fimbriis ornatum.

In tabula vitrea argenteo marginata laurea meae pretiosum documentum inclusi quod in pariete applicavi ut omnes viderent non esse lauream per pietatem concessam sed merito et scientia mea. In armario vitreo deposui pileum meum ut saepe sub oculis meis habere possem.

His rebus factis, fere flens consedi et matri meae, quae de reditu meo laetabatur, dixi: "Et nunc quid est agendum?" - "Nunc" - mater respondit - "tu solum requiescere debes, dormire, discumbere, tibi ministrabo cibos sanos et sapos, quia debes demittere macilentiam tuam et salutem curare ut recuperare possis pristinum roseum colorem et pinguefacere thoracem et omnia membra tua. Poteris quoque deambulare et considerare in thermopolio ad aliquid sumendum. Fortasse quemdam e tuis condiscipulis scholae primariae invenies quibuscum sermocinare potes et ludere chartulis."

"At mei veteres condiscipuli me loquentem non intellegunt quia multum distat homo ignarus a laureato. Aequales mei aestimare non possunt quanto sudore quantoque labore constet laurea mea..."

Ubi pater ex agris rediit, me amplexatus est commotus et ubi vidit documentum in pariete et pileum in armario fere flens. "Superbio de te" inquit. "Meis laboribus me consolatus es. Interea nummos servare possum et augere quos habeo quia debeo moliri copiosam summam nummorum ubi debes incipere munus tuum."

Sapientissime igitur res domesticas disposuit, quod primum munus meum mihi oblatum est Syracusis.


Antoninus Immè

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

Datum und Unterschrift



Hic solutionem
inscribe et
chartam mitte!



AZ

8050 Zürich

5+6/84

KALENDIS IVNIIS

MCMLXXXIV



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

CH-8050 Zürich

TOMUS 7

FASC. 47